

Leg 14 pag 14 32
131-1
35
1149
[Signature]

✠

IN OBITVM
FERDINANDI VI
HISPANIARVM ET INDIARVM
REGIS.

NOX.

NOX erat, & coelo crySTALLINA cornua Phoebe
Condiderat, dubiamque solo per nubila lucem
Sidera rara dabant. Atris obfusa tenebris
Aura graves strepitus, rauco crepitante susurro,
Mittebat, trepidosque sonos; quo murmure moestos
Surgere corde metus, et inania monstra per umbras,
Saepe iubet, gemitus hominum, fremitusque ferarum
Invisis imitata modis. Caligine tetra
Arva silent, vigilesque canes; somnoque sepulta
Cuncta iacent: nigrumque Chaos convolvere rursus,
Credideris, mundi primo in discrimine molem.

Tempus erat mediae transactum noctis, et alte
Indormire dabat mortalibus humidus aër,
Coecaque terribilis cognata silentia noctis:
Cum male compositus lecto, curisque malignis
Exesus, somno tandem concedere cogor.
Morpheus extemplo totis me viribus aegrum
Occupat, ac blandis torpentia membra catenis
Alligat, infirmos hebetatque papavere sensus.

Tunc visus per inane rapi, cursuque volucris

A

Et



UVA. BHSC. LEG 14-3 n°1149

HTCA

U/Bc LEG 14-3 n°1149



5>0 0 0 0 5 7 3 1 3 9

Et celeres ventos, impulsaque nubila longe
 Vincere. Sic vacuas mittor, iactorque per auras.
 Non plumbum Balaris agit velocius ardens,
 Quum quatit immensum fundae clangoribus aethra:
 Nec magis Haemoniis convallibus acriter urget
 Torva Diana feras, nitido spectabilis arcu:
 Quam rapidos ventos nullo ducente secabam,
 Praecipiti, metuens, iamiam dare membra ruinae.

Protinus at blando coepi descendere lapsu.
 Utque fuit tetigisse solum data copia, diro
 Expediorque metu: tacitus confinia lustro,
 Et nemora agnosco visu; sed qualia quondam
 Pallentes habitare umbras, Lemurumque catervas,
 Audierim. Piceis tellus, densaque cupressu
 Induitur. Nullo nascuntur palmite fructus.
 Herbis nudus ager: molli pro germine florum
 Imminet urticis tellus, et sentibus horret.
 Semicremis longo squallebat limite truncis
 Campus, et assiduo resonabant vulture colles.
 Nec scatebris undae exiliunt, nec limpidus agros
 Irrorat torrens. Glaucis sed terra lacunis
 Scinditur, atque gravis contaminat aëra putor.

Talia dum miror, querulo stridore repente
 Concutitur tellus. Stupefactaque casibus atris
 Mens iacet, immotumque manet formidine corpus.
 Gurgite terrifico labor, subitoque tumultu,
 Ut nulli pateant aditus, compagibus arctis
 Complanatur ager. Plutonia regna, putares,
 Invisenda mihi, tranandaque flumina Lethes.
 Nec reditus spes ulla manet, rursusque fruendi

Lu

Lumine Apollineo ; nec compellare dabatur
 Auxilio quemquam , nigras quo forte latebras
 Effugerem : aut reditum si fors iniusta negasset,
 Confortis toleranda forent solamine damna
 Rectius , ac mutuis posset constare periclis
 Quisque animo , meliusque feros perferre labores.

Iamque equidem monstris animus durare malignis
 Haud poterat , tremulusque solum pes comprimit aegre:
 Altera cum pavido mediis exorta tenebris
 Formido , trepida remoratur imagine gressus.
 Excepere fonos aures ; tum murmura moesta
 Cognovi , atque imis suspiria missa medullis.
 Feminei planctus (quamvis nec sana fuisset
 Mens) pectus tetigere meum : commotus et ultro
 Advolo , secretas ardens contingere causas.
 Nocte feror coeca , rapidis non passibus obstat
 Caligo. Propero tenuem qua rimula lucem
 Exhibet , atque animo superans obstacula , propinquo.
 Quaque aditum paries stricto spiramine praebet,
 Ingredior , corpusque levi conamine trudo.

Aula peregregiis aderat variata figuris,
 Barbarica constructa manu , atque sedilia circum
 Marmore ducta iacent , pulcris interlita signis.
 Lychnus erat : tremulis sed lux male vivida flammis
 Mittitur , et sacros , monet , observare recessus.
 Virgineos vultus , lacrymantia Numina cerno
 Insimul , et magno moerentia pectora quaestu.

Adfuit in primis rutilo diademate pulcrum
 Insignita caput , niveaque in veste decora,
 Nomine quae aeternum numen , causasque supernas

Diva refert, hominique abscondita sacra resignat
 Aethereos rimata polos. Haec vertice cunctas
 Excelso vincit. Comes haeserat insuper illi
 Ethice, et immoto Iurisprudencia vultu.
 Ingeniosa Mathesis erat, laterique venusta
 Haeret Rhetorice, dux et Dialectica mentis.
 Caetera, quae ingenuas omnes complectitur artes,
 Alma cohors aderat pariter; planctusque ciebat,
 Immodico madidos ostendens flumine vultus.
 Antra, nemus, coelumque boar, quaestuque lacunae
 Concutitur, resonatque gravi. Tunc denique tristes
 Adgredior sermone Deas; primamque Poesim
 Compello; moestos habitus, dirumque dolorem
 Miratus. Causasque itidem iam cominus ipse
 Sciscitor: horrificis se qua ratione cavernis
 Abdiderint; lautasque urbes, hominesque relinquunt,
 Adtigerant raucis divinae praesidis aures
 Murmura nostra sonis, et vox impleverat aulam.
 Tunc cunctas cessare iubet, querulosque remitti
 Diva modos; propiusque mihi responsa parabat:
 Atque adsurgentem nobis cum forte Poesim
 Vidisset: responsa, rogat, mihi reddat, et aegram
 Ingenti moerore levet, dubiumque recludat.
 Utque fuit male comta comas, fraudata cothurno,
 Rorantes tollens oculos, et voce minanti
 Incipiens, nostras pulsavit talibus aures.

*Quis te error, Peregrine trahit? Quidve impulit, amens,
 Ignotas intrasse domos? sacrosque recessus
 Contemerasse pede? et profugas toto orbe sorores
 Vexasse huc etiam? Fatum quo saeviat atrox.*

In

*Insuper est? Mœsta confusas voce cavernas
 Linque, age; concessosque sine increbrescere planctus.
 Hesperiam fugimus, desertas quaerere sedes
 Cogimur. Inuisis nullus dein gentibus usus.
 Nec lacrymis aderit, nec nostrae terminus unquam
 Tristitiae; aeternumque chaos nos obruet umbris.
 Quis, quaero, ingenuas, ingentia nomina quondam,
 Excolet hinc artes? Extincti sorte parentis,
 Praesidioque suo orbatas nos omnia laedent
 Heu mala! Pellemur teētis, longumque feremus
 Exilium, et nulla dabitur consistere terra,
 Expulsis patria. Probris nos cedet iniquis
 Crassities, spoliisque caput ferus induet hostis.
 FERDINANDVS abest. Properi vis impia fati
 Abstulit, et longa compositus nocte premetur.
 Nox eadem truculenta premit nos. Iamque pudebit
 Orbe frui, nigro quem circumfundit amiētū
 Terror, et horribili deturpat imagine livor.*

*Auditis stupui, rigidoque in corpore sanguis
 Constitit, et clausum pressit suspiria guttur.
 Non vultus pallor: non tristia signa loquentem
 Continuere Deam: rursus tunc aëra dictis
 Verberat, & planctus miscens sic pergit amarus.*

*Extremum hoc, graviusque malum lugemus: adempto
 FERNANDO, aeternam nostrae fecere sorores
 Iacturam, et nullo cladis reparabitur aëvo.
 Hoc Tagus hoc, sylvis referens, praedixerat olim,
 Phyllidos interitum; peioraque fata, canebat,
 Mansura Hesperios. Tenuere auguria veram
 Prisca fidem. Summo tellus concussa dolore*

Hif-

Hispana, & luētū totus maculabitur orbis.

*Ardebat dudum bellis Europa superbis,
Diraque sanguineus produxerat agmina Mavors.
Hispani hinc, Gallique ruunt, Ligurumque cohortes
Bella movent, Siculique truces; Italumque cruentant
Caede solum. Glomerat flavas inde Austria turmas,
Convocat et niveos in proelia dira Batavos,
Alpinosque feros, et saevos classe Britannos.
Pax aberat terris, timor undique, et undique caedes.*

*Sed simul ac sceptro coelum praefecit Ibero
FERNANDVM, Pax alma viget, reduceisque Camoenae,
Et rediere novis felicia tempora palmis.*

Relligio, pietas, dulcis concordia regnat:

*Arva novo florent cultu: celeresque biremes
Aequora tuta secant: auroque America nitenti
Depictas onerat puppes, pontumque fatigat.
Ingenio artifices fingunt miracula, mundum
Et Sophia adproperat partis ditare trophaeis.*

*Aëriae surgunt turres, fastuque superbo
Sidera contingunt moles: variataque pulcras
Commendat Pictura domos, urbesque decorat.
Lanaque, quae tantum nullos non noverat usus,
Hispana tractata manu, iam vellera mutat
Auro. Nec Seres nobis sua stamina flavi
Extollenda ferant. Radians attexitur aurum
Vestibus, argentoque nitet perfusa iuventus.*

*Classibus aptantur portus: saxoque recisis
Culminibus, faciles aditus panduntur eunti,
Ac variae placidaeque viae. Saturnia nostrae
Labitur Hesperiae nitidissima frugibus aetas,*

Vt

*Vt gravior iactura foret. Sors omnia secum
Abstulit heu nobis! FERDINANDVMque potentem
Corripiens, caro viduat nos saeva parente!*

Longius adgressae sermonem ferre, sorores
Adsurgunt, fletusque iterant; rursusque sonoris
Misceri nigrans coepit singultibus aula.

Excitor hic visis: pavido cor pectore lente
Subsilit, atque tremor subito per membra cucurrit.
Lux aderat terris, clauso sed Phoebus Olympo
Ibat, et incertas suffuso lampade luces
Edebat. Praesaga mali triste ingemit aura.
Funerae, quocumque aures converto, querelae
Excruciant animum, trepidaque in mente resurgunt
Somnia. Fatidico, causas hausurus acerbis,
Expeditior lecto. Tunc horrida somnia verum
Vaticinata malum, novi. Concesserat eheu!
FERNANDVS fatis! Certa perculsa ruina
Plebs gemit, & moestis surgit querimonia signis.
Fletibus adiungo lacrymas, numeroque dolentum
Misceor, atque alto confunditur aethere clamor.

*Pangebatur D. Vincentius Garcia
de la Huerta.*

Matriti, Superiorum permissu, ex Typographia
Antonii Marin, anno 1759.

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

